

Præcell. & Clariss. hujus Disp. AUCTORI

S. P. P.

Hx quo à celeberrimo Theologorum pari,
WEICKMANNO & WERENSDORFIO,
(quorum in Ecclesiam nostram merita ut
perpetuis augmentis Divina gratia coronet,
seriis à DEO votis exoptamus) mihi commendatus ad
hanc Academiam accessisti, honestam quandam in Te
solidioris eruditionis & verissimarum virtutum æmu-
lationem è vestigio deprehendi. Nec enim facile di-
xero, cui vel remissius adposueris animum Tuum,
ad præclara quævis & laudabilia propensum, vel quod
alacrius majorique cum successu excolueris. Ad utrum-
que insitâ Tibi à Parentibus pietate æqvè propendes,
utrique quotidianâ indefessâque industriâ tantum pon-
dus addis, ut fructum à Te Patria, si vellet, jam nunc
metere posset. Testes ejus rei doctorum sunt ædes,
quas sapientiam ab ipsis hausturus calcasti, testis scho-
la mea domestica, in quâ mihi quotidianus auditor
assedisti, testis publica Academiae cathedra, quæ Te
frequenter cum omnium adplausu audivit differentem.
Nunc cum novo specimine, extremum ei vale dictu-
rus à nobis discedere, aliasque adire amplissimarum
quarumvis doctrinarum officinas, animo Tuo volvas,
quid Tibi ego, qui impensissimo Te semper amore
sum complexus, quid cæteri, in quorum oculis &
ore fuisti, qui spem de Te uberrimam, in publicum
aliquando commodum exundantem, conceperunt,
quid aliud Tibi adprecabimur, quam ut DEi porrò
fruaris amore, ut ad majus subinde sacræ scientiæ fa-
stigium consveto Tibi nisu grasseris, ut Parentum pa-
triæque expectationem incredibili successu expleas, ut
denique nostri æternum sis memor, qui Tui nunquam
obliviscemur. Scr. die V. Febr. MDCCIX.

JO. FECHT. D. Disputationis Præses.